



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput Trigesimum septimum. De pellione, cuius brachium sanauit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Caput Trigesimum septimum.

A

De pellione, cuius brachium sanauit.

S. ENGELBERTUS COLONIENSIS TRIBUS MULCTARAT.

Nota miraculum.

PELLIO quidam est Coloniae notissimus. Eum magno alterius brachij dolore excruciatum hortabatur vxor, vt adiret Episcopi ENGELBERTI monumentum, & pro sanitate eum deprecaretur. Ille indignabundus respondit: Id ego non faciam. Cùm enim in viuis esset, prater ius à me quatuor marcas accepit. Et vxor: Non ita, inquit, loquaris: sed eas ad sepulchrum eius, & dicas te nunquam repetiturum illam pecuniam, siue iure, siue iniuria data sit. Initio enim pontificatus eius acerba inter scabinos & tribus ciuitatis orta erat dissensio: quam cùm componere non posset ob tribuum pertinaciam, quatuor millia marcarum ab eis exegit, è quibus hic pellio quatuor marcas dependerat. Acquiescit vxoris consilio, abit ad monumentum, dicit animo simplici: Domine, siue rectè, siue prater fas à me acceperis quatuor marcas illas, ego te liberum pronuncio apud Deum. Oro igitur, vt precibus tuis sanes brachium meum. Dixit, & ilicò sanatus est: ostenditq; brachium Decano summæ ædis, merita martyris prædicans.

C

Notatio ad Caput Trigesimum septimum.

Manuscriptus Pellionem Ervvinum nominat.

Caput Trigesimum octauum.

De Puerò à tertianâ febre curato.

Reliquiæ S. Engelberti argenteo à Magnatibus includuntur.

IDEM Decanus abiit ad castrum Radenrodense, inuisere volens cognatam suam. Cumque inter se conferrent de miraculis Episcopi ENGELBERTI, Decanus matronæ illi dedit dimidiam zonam eiusdem Episcopi, quam argento ornandam curauerat. Erat tum in castro illo puer tertiana laborans, quem matrona cingens zona illa, Domine Archiepiscope, inquit, quàm verè est anima tua apud Deum, tam certò curetur hic puer per merita tua. Confestim abiit febris, nec ausa fuit redire ad puerum.

D

Notatio ad Caput Trigesimum octauum.

Randerodium præfectura est agri Iuliacensis ad Wormium fluuiolum